



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 132. Ladislaus juvenis coronatus Rex Bohemiæ

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

**Sæcul. XV.** Cum autem justitiæ leges promissi fidem  
**A.C. 1453.** servare prohiberent, quinta Julii Valli-  
 soleti sententia mortis in eum lata capite  
 truncatus est, quod ubi amputatum fue-  
 rat, hastæ infixum, corporis vero trun-  
 cus tribus omnino diebus in ferali peg-  
 mate expositus mansit, cui pelvis appo-  
 nebatur, ut a fidelibus stips colligeretur,  
 unde sepeliri posset; tristi prorsus tanti  
 Viri fato, qui triginta annorum decursu  
 tantas sibi divitias corrasit, ut paulo ante  
 Regum ferme potentiam æquaret.

## §. CXXXII.

*Ladislaus juvenis coronatus Rex  
 Bohemice.*

**Cochl. Hist.** Labente eodem anno Ladislaus Juvenis  
**Huffit. l. II.** tredecim circiter annos natus Bohe-  
 miam petiit, ubi Pragæ summo honore  
**Dubrav. l. 29** exceptus, a Joanne Episcopo Olomucen-  
 si, seu juxta alios, a Dionysio Cardinale,  
 & Archiepiscopo Strigoniensi regni coro-  
 nam accepit in festo SS. Apostolorum  
 Simonis & Judæ die vigesima octava O-  
 ctobris. Celebrabantur solemnia ritu  
 Catholico, quamvis Podiebracius urbis  
 Præfectus Hussitarum sectæ addictus es-  
 set, & Rochisana horum hæreticorum  
 princeps Archiepiscopalem sedem usur-  
 paret, cujus tamen Rex juvenis nullam  
 rationem habuit, nec unquam cum iis,  
 qui

qui se ab Ecclesiæ doctrina segregarunt, societatem inire voluit, ita ut eorum facella, quamvis instanter rogatus, intrare constantissime recusaret. Quinimo cum aliquando a Rochisana quidam Sacerdos Hussita in arcem immissus esset, ut coram Rege Rem divinam perageret, is adeo rem detestabatur, ut misso protinus satellitum suorum Præfecto, profanum hunc sacerdotem, nisi mox abiret, ejici extra facellum, & de proxima arcis rupe præcipitem agi præciperet. Cum etiam Rochisana quondam sacram Eucharistiam solemniter per urbem deferret, Rex nullum reverentiæ signum exhibuit, percunctantibusque aulicis suis, quid rei subesset, respondisse fertur: *Mihi cavendum, ne dum Christum Deum manibus hæretici delatum adoro, sacrilegum presbyterum popularibus approbasse videar, quorum plerumque mores ex Principe pendunt. Nec illi me Deum contempsisse putabunt, cujus sacratissimum Corpus in Catholici Presbyteri manu summis semper honoribus profecutum viderunt.* Hanc ob rem, cum Ladislaus ad anni hujus finem Austriam repetere meditaretur, ex Hussitarum nemo unus eum urbe excedere lætabatur.

§. CXXXIII.

Sæcul. XV.

A. C. 1453.